

\* I \* H \* V \* S \*

~~G. H. #.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-23.

SIGNAT. CCCXIII.

Einzelne verstreut  
1941.

Stückzettel erled.

616  
22

ELECTORALIUM  
*Saxon. Alumnorum.*  
GYMNASMA QUARTUM,  
*De*  
PECCATIS  
ACTUALIBUS,  
Altissimo annuente,  
*Sub moderamine,*

NICOLAI HUNNII  
S.S. Th. D. & P.P.

Elector. Alumn. INSPECTORIS,  
*In inclita Wittebergensi Academia*  
Propositorum,

M. ABRAHAMO HEINECCIO Witebergensi,  
Colleg: Philosoph: Adjuncto.

RESPONDENTE  
JOHANNE CRUSIO Bitterfeld: S.  
Instituetur disputatio

Die 30. Ianuarij, horâ 1. pomerid. in  
Auditorio Alumnorum Electoralium.

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M. DC. XIX.



VIRIS

Magnifico, Amplissimo, Consultissimo, multoquè rerum gravissimarum usu præclarissimo

DN. LEONHARTO CÖPPELIO

ICto celeberrimo, Serenissimo Electori  
Saxoniae à consilijs, Appellationū, & supremi  
quod Dresdæ est Consistorij Assessori longè dig-  
nissimo.

NEC NON

Admodum Reverendo, Clarissimo, Excellentissi-  
mo deo Ecclesie Christi meritissimo

Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO SS.

Theologiæ Doctori Celeberrimo, Ecclesiæ  
Dresdensis ad S. Cruc. Pastori ac Superattentivi vigi-  
lantissimo, & Protosynedrij Ecclesiastici quod Dres-  
dæ est Assessori meritissimo

Dnn. Agnatis, Mæcenatibus, Promotoribus, ac  
Fautoribus meis, summo honoris ac amoris cultu pro-  
sequendis

Gymnasia hoc Thoelogicum, gratitudinis & ob-  
servantiae ergo, ac in novi anni Xeniolum.

inscribo

consecro

Johannes Crusius Respe

## DISPUTATIO. IV.

### DE PECCATIS ACTUALIBUS.

#### *Prae*loquium.**

**D**icitur Eccatum, quod verè juxta N<sup>o</sup> zianz. orat. funeb. in patr. τῆς ψυχῆς θάνατον καὶ ὀλεθρόν dicitur, id ex August. tr. 49. in Iob. & lib. 1. contra Donat. c. II. commodissimè vertitur, dum peccatum dicit mortem anime, & tenebras animarum, sunt enim peccata animæ ligamina, quibus à D E O longissimè avertitur, tandemq; planè æternâ quasi morte seu cruciatibus perditur.

Hinc de peccato pœnisq; peccatorum, omnes regiones, gentes, populos cuiusvis urbis, imò domus incolas conqueri sàpè audias, peccati tamen naturam, quoad ejus fugam & deviationem excitari possint, haud quaquam considerare animadvertis. Ita verò hac ipsa in doctrina progrediendum est, ne vel *securis* & *Epicureis* peccādi aperiatur porta, naturā enim ad peccandum procliviores quasi sumus, viditq; DEUS de cœlo, an esset qui facere bonum, & ecce omnes declinaverunt, pariter inutiles facti sunt, & non est faciens bonum, ne unus quidem Psal. 14. v. 2. & 3. Econtra accuratè prospiciendum, nè quoque *anxiæ conscientia*, peccatorumque

A 2. ponde-

spondere onustæ prorsus deprimanrur. Quocirca  
cum Pontificijs & recentioribus Photinianis naturæ  
humanæ sanctitatem non nimium evehamus, quasi o-  
mni peccato liberi, propria sanctitate Deo placere  
queamus. Neque econtra peccata nimium extenue-  
mus, ac si vel hæc minimum Deum offendunt, ab ho-  
mine quoq; jam regenerato, qui spiritu Dei dicitur,  
scelera quoq; grandia minime præcaveri possint: Ve-  
rum legis rigore peccatores præfractos terreamus, anxias  
verò conscientias solatio Evangelij erigamus. Quocirca,  
uti hactenus de peccato in genere, ejusq; caussis, pecca-  
to item primorum parentum, tūm originali actum est:  
Ita nunc de Peccatis Actualibus ex peccato originis  
ceu fœcunda matre, quodquè nunquam res otiosa est,  
vel torpida qualitas, proveniētib⁹, pro instituti quoq;  
ratione breviter quatuor insequentibus capitibus a-  
gendum sumimus.

## CAPUT I. DE PECCATI ACTUALIS DEFINITIONE.

I. Cum appellationes peccati tūm Hebreæ, tum Græ-  
cæ, earumq; appellationum differentiæ, disput. J. maxi-  
mā suā parte explicatæ sunt, eaque fusius apud Domi-  
num D. Chemnit l. 1. loc. 3 Theol: c. 2. pag. 525.. Et Dominum  
D. Gerhardt: tom: 2. loc. pag. mibi 688. Præceptorem item  
nostrum venerandum Dominum D. Meisnerum disp. 3. an-  
trop. sacræ quæst. 1. reperiantur, illis hic pertractandis  
meritò supersedemus.

II. Breviter notamus peccata actualia de quibus hac  
nostra in disputatione nobis agendum est, quorum ma-  
lia voluntaria alia involuntaria, illa ἐν στασι καὶ ἐν περιπέ-

σεως

ונאשdicuntur in Scriptura Sacra רָוֶשׁ בְּפַתְחָה וְבְצִדְקָה  
 פarias Num. 15.30. זָרִים peccata superbiæ à זָרָה intu-  
 munt Psal. 19. 14. עֲרֵשׁ improbitas, vnde שְׁעִיר improbi  
 Psal. 1. v. 1. מַעַל transgressio. Hæc καταγνωσιας ἡγεμονιας  
 commissa שְׁנִיאות וְשְׁנִיאות Psalm. 19. v. 13. appellantur.

III. Nobis in genere peccata actualia ab actu seu ac-  
 tione quam conjunctam habent dicuntur, notantq;  
 tūm peccatum omissionis tūm commissionis, plerumque  
 enim & ista conjunctos habent actus indebitos tum  
 interiores, quales sunt propositum velle omittere;  
 tum exteriores, quales sunt tum complacentia in ista  
 omissione, tum occasiones & causæ omittendi, quo i-  
 pso distinguuntur peccata hæc omissionis ab originali  
 peccato, & ad actualium peccatorum classem refe-  
 runtur.

IV. Quanquam verò in omni actione tūm laudabi-  
 li seu honesta, tūm vitiosa Aristot. l. 3. Eth. Nicom, requi-  
 rit, ut sit ἀνέγνωστον ἀπογεγένετον μετά βλεύσει, καὶ βληθεί,  
 ἀνθεξόσιως facta, spontaneo nimirum ex proposito,  
 cum consultatione & voluntate ex libero arbitrio, eas-  
 que actiones, quæ licet à decoro abeant, destituta ta-  
 men una vel altera harum conditionum non simplici-  
 ter vitiosas dicat.

V. Theologia tamen & sacra Scriptura omnes simpli-  
 citer actiones à lege divina vel minimū recedentes vitiosas  
 & peccata dicit, quocunq; etiam prætextu palliari pos-  
 sint, adeoq; ipsam naturā hominis nō in se, sed peccato ori-  
 ginali contaminatā vitiosam dicit, omnesq; etiam actio-  
 nes quamvis inmundo honestas, tamen fide destitutas,  
 & quia perfectionem legis non assequuntur, damnat,  
 unde rectè à D. Luth. dictum: Hominem in quavis actio-  
 ne etiam bona peccare & delinquere, t. 1. lat. fol. II.

VI. Nec sanè aliter potest homo si non regeneratus

& à Spiritu S. ducitur, unde peccata in sacris dicuntur actiones Veteris hominis Col. 3. v. 9. Opera carnis Gal. 5. v. 16. Præterea *Theologia* non solas actiones sed & cogitationes illicitas damnat, quæ tamen non ita simpliciter in foro damnantur politico vid. Gen. 6. v. 5, proverb. 15. vers. 16, Esa. 55.9. Es. 59.7. Jérém. 4. vers. 14. &c.

VII. Ad peccata itaque actualia ut rectè D. Chytraeus in *Catechesi sua* monet, referuntur, in mente dubitaciones Epicureæ vel Academicae, & omnes falsæ opiniones de DE O, etiam si lingua vel calamo non proferantur; in voluntate admiratio sui, neglectio & contentus DE I, fiducia rerum carnalium, fremitus recusans placide obedire DE O in ea rūmnis: In cordi injusta odia, ira, cupiditates, amor vite, voluptatum, gloriae magis quam ipsius DE I: quod idem dixit Gregor. cogitando vel loquendo vel faciendo omne peccatum committitur.

IX. Et ut de actionibus à lege discedentibus nullum dubium, ea simpliciter peccata esse, ita ex dictis cogitationes & concupiscentiam malam prout ab ipsa motus proveniunt ad peccata actualia debere referri colligitur, & paulo post fusius probabitur. Atque hinc peccati actualis commoda erit descriptio Augustini 22. cont. Faust. c. 27. quod sit dictum vel factum vel concupitum contra legem eternam, quam etiam non simul ad originale peccatum referendam cum Pontificijs, sed actualium peccatorum propriam statuimus.

IX. Expressere eandem alij ita, quod peccatum actualē sit omnis actio interior vel externa pugnans cum lege DE I. Alius enim si peccati naturam in genere declarare volumus recte ex 1. Ioh. 3. v. 4, tñv ãtiaqñiav tñv ãtouias dici-

dicimus; sive illa aberratio in ipsa natura hōereat, sive  
in ipsis dictis, factis, aut concupiscentiæ motibus in-  
veniatur.

X. Quomodo vero actualia peccata voluntaria statu-  
amus ext. 4. & est conspicuum; & frustaneum est quod *Bellar.* l. i. de amissione gratiae & statu peccati excusationē in-  
quirat, quā ostendere posset, *Augustinū peccata afferuisse*  
*voluntaria*, cum aliās id ex ipso l. de vera relig. c. 24. con-  
stet. Ipse verò Bellarminus videat, ne tūm aliud agat ex  
proprijs suis hypothesibus ad castra Pelagianorum ab-  
eat, quod commonistratum ipsi à Dn. D. Gerardo t. 2.  
§. 3. fuis tradiucere nolumus. Ipsaq; propositæ descri-  
ptionis natura ex cap. 3. patebit fuis. Nos jam ad se-  
cundum progredimur quærentes.

## CAPUT. II.

*An Concupiscentia seu pravi motus cordis licet  
non accedat consensus, peccatum sint, & an peccatis a-  
ctualibus connumerandi?*

Non sermo hic nobis de Concupiscentiâ habitua-  
liter inhōrente, de qua sub doctrinâ de peccato origi-  
nali, actum est: Verum, cum quicquid præter carenti-  
am illam & habitum inclinantem est in homine, quod e-  
rumpit in actum illum pugnantem cum lege Dei, sive  
fiat hoc actus & operis debiti omissione, sive actus & o-  
peris indebiti commissione, vocetur peccatum actuale.

II. Quocirca non minus ut de habituali con-  
cupiscentiâ directè affirmamus quod sit pecca-  
tum; ita facile affirmare possumus, pravos concupi-  
scentiæ motus, qui sunt proprium perpetuum, & insepa-  
rabile peccati originalis effectum, per emanationem ab  
eo profuentes, licet plenarius consensus, delectatio, & profe-  
cutione

~~et non accedat, peccata esse, eosq; ad peccata actualia in-~~  
~~ternarē referenda statuimus; licet propter meritum Chri-~~  
~~sti renatos non constituant actu coram DEO reos, mor-~~  
~~tiq; æternæ obnoxios.~~

III. Quia verò ex controversia hac verè dependeat gloria Christi & vera doctrina de nostrā justificatione per fidem, omnisq; justitia tollatur operum, hinc non modò *Pontificij* sed & recentiores hodiè *Photiniani* quorum dogmata, si de salute hominum tota aspicias, eo delabuntur, hominem per opera salutē acquirere, ad unum idemq; thema de justitia operum, licet ex diversis fundamentis extruendum, unice eo laborant, ut affirmativam hanc nostram destruant sententiam.

IV. Negant hinc Photiniani non modo peccatum originis omne, & non nisi anile fabulam ac anile cōmentum esse clamitant (qua acclamatione sanè in multis suis proferendis sententiis pro argumento utuntur, uti ex scripto Smal. contra D. Frantzium evidissimum) sed etiam hominem propriis viribus (fucus enim est cum dicunt adjutū Spiritu S. per quem doctrinam Evangelij intelligunt) legi DEI posse satisfacere. Cujus assertionis cum varijs contorsionibus sententias plurimas invenies apud *Smalc.* in cit. ref: *disp. de bonis operibus.*

V. Hinc tortuosa illa *Photinianorum cap. 7. ad Rom. explicatio* cuius summa eò redit, quod quicquid ibi de impotentiā hominis ad legem D E I implendam dicitur, id ita accipierendum sit, quatenus is sub lege sit, hoc est, nullas alias vires præter eas quas ipsi lex suppeditat habeat, & pro more suo postmodum sententiam quæ Paulum de seipso tanquam renato loqui affirmat, & falsam, & saluti humanæ pernicioſissimā, proclaimant.

VI:

V.I. Veruntamen cum hoc extremum sit eorum refugium, Paulum non de se, sed non renato loqui, missis reliquiis argumentis, quæ adducere possemus, considerandam ipsi proponimus v. cap. ejusdem, 15. 18. 22. 25. in quibus Paulus illa sibi tribuit, quæ solis regeneratis conveniunt. *Velle enim Deus in nobis efficit Pb. 2. v. 15.* Congratulantur legi regenerati Psal. 1. v. 2. Ps. 119. v. 20. Siq; contraria leguntur de homine renato, quæ Socinus colligit ex locis Gal. 5. v. 24. Rom. 6. 2. 12. 14. & Rom. 7. v. 5. 8. 10. 11. 12. 4. 8. 9. 13. loquuntur ea de peccatis actualibus, non verò de internis concupiscentijs & motibus.

VII. Similis est explicatio Photiniana petitionis quindecimorationis Dominicæ, *Et dimitte nobis debit a nostra*: ex quâ itidem universale argumentū pro affirmativa nostra sententia extruemus. Sic enim Smal. cont. Doct. Frantzium. p. 456. *Nimis futile est, ideo nos orare jussos remissionem peccatorum quotidie, quia non possimus perfectè obedire DEO.* Quasi verò homo non teneatur quotidie orare DEum, ut peccatorum etiam præteriorum obliuisci velit, et iam si nunquam, postquam ad DEum conversus est, ne semel quidem peccet.

IIX. Verum præterquam Smalzius nunquam probabit, hominem esse ἀναγένησον, nisi etiam hyperboliam fingat in illo Jacobiz. v. 2. in multis labimur omnes. Ita ex lib. Jobi dicimus c. 15. v. 14, quid est homo ut mundus sit, & ut justificetur natus è muliere: Ecce in sanctis suis non posuit stabilitatem, & cœli non sunt mundi in oculis ejus. Quātum magis abominabilis & contemptibilis homo, bibens sicut as quam iniquitatem. Hæcq; dicta Psal. 32. vers. 5. 6. corroboramus.

IX. Quæ p. 181. cit. libri profert Smalc. *Hoc rogare san*  
*tos ut Deus peccatorum oblitus, vitam eis eternam donare*

B. velit

Dicit, cum ut quantoperè abhorreant à peccatis præteritis  
cum quanti etiam faciant promissionem vitæ æternæ pariter  
testentur: Hæc ut nostram sententiam non destruunt,  
ita à positione caussæ ultimæ falso causam propriam  
ac genuinam negaveris. Adde quod nō tam s. quam 2. &  
7. petitione, vitam æternam à D E O precemur.

X. Contra Pontificios ad confirmationem ulteriorem  
nostræ sententiæ proponimus, I. quod Rom. 6. v. 2. Item  
v. 6. 7. II. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 19. It. Rom. 7. v. 5. 7. 8. 9. II. 13. 14.  
17. 20. 23. 25. tum cap. 8. v. 2. 3. 10. ab Apostolo Paulo con-  
cupiscentia indigitetur & expressè peccatū nuncupe-  
tur. II. Lege itidem hæc interdicta sit Rom. 7. v. 7. III. Le-  
gis perfectam impletionem impediat. Ib. v. 14. IV. In  
se & per se æternam damnationem mereatur Rom. 8. v. 13.

V. Ab eaq; non nisi per Christum liberemur Rom. 7.  
v. 24. & 25.

XI. Similia istorum videoas Gen. 6. v. 15. c. 8. 21. tūm quæ  
supra de immundicie humana, & cogitationibus pravis  
hominum adduximus. It. Gal. 5. v. 17. Heb. 12. v. 1. 1. Job. 1. v.  
8. &c. Testimonia Patrum qui desiderant, apud Excell.  
Dn. D. Meiß. d. 8. ant. sb. 44. Dn. D. Gerb. in loco de peccato  
actuali videant.

XII. Exceptiones & instantias Pontificiorum, si à cla-  
rà scripturæ literâ te amoveri non patiaris, inter rege-  
nationem & renovationem distinguas, quarum illa  
quidē perfecta, hæc verò in mundo hoc incipit, in alte-  
ro consummabitur. Tūm inter damnationem & dam-  
nabilitatem. Tūm quid concupiscentia ex se merea-  
tur, & quod ex merito Christi ipsi accedat, quod alia sit  
ratio formælis peccati ut relatè & absolute considera-  
tur, eas omnes repellere & refutare facile poteris.

XIII. Multo minus vero Apostolus de concupiscentia solum  
voluntaria & formata, ut vocant Scholastici, loquitur.  
Neq; de concupiscentia solum carnis & appetitus sen-  
sitivi

sitivi, sed cordis quoq; & superiorum virium loquitur: tūm concupiscentia originali & motibus involuntarijs.

XIV. Illud Clariss. Dn. D. Meisn. 1. à prohibitione concupiscentiæ 2. subjecto concupiscentiæ ante regenerationem 3. à renovatione 4. à rebellione 5. à precationibus 6. ab experientia comprobatur. Hoc 1. ab ignorantia peccati 2. à perpetua textus cohæsione 3. ab originalis concupiscentiæ proprijs. & 4. à minori ad majus seu à damnatione effectus ad damnationem caussam ostendit.

XV. Distinctio verò Bellarmini, quam adfert in præcepta quæ imperent solùm media adeoq; obligent: & quæ media & finem, adeoq; quid faciendum doceant, uti primò conficta est & fundamento caret: ita minus cōmodè ad præceptum denō concupiscendo applicatur. Ac de lege D E I data, non ex nostro cerebro, sed ex justitiæ divinæ rigorc judicandum, interq; *avulsa* & subjectum ejus distinguendum est.

### CAPUT III.

#### DE CAUSSIS PECCATORUM ACTUALIUM.

I. Quo naturam peccati actualis accuratius pensitemus, ad considerationem caussarum non quidem in genere omnis peccati, sed maximè actualium, earumq; non ut in Adamo, sed ut in nobis deprehenduntur, nos convertimus. Simul oppositas addentes causas, quibus illas declinare & cavere queamus. Hanc addentes cautionem, caussas peccati nos dicere *ως τη πλάτει* cum alijs malis, adeoq; & peccati causa non tam efficiens quam deficiens quærenda sit, *malumq; tūm essentia, tūm fine, tūm efficiente careat.*

II. Quoad caussam itaq; efficientem, eamq; inclinantē extra controversiam ponimus, in nobis, qui ad simi-

B 2

litu-

litudinem Adami nati sumus, licet in similitudine Adami non peccaverimus Rom. 5. v. 14. naturam esse corruptam cum omnibus suis viribus, unde in mente ignorantia, in corde inclinatio ad malum, omnesque pravi motus ac concupiscentiae, quos ipsos ut peccata actualia esse ostendimus, majorum tamen & in actum apertum prodeuntium causae sunt.

III. Hinc est quod Apostolus Iac. dicit c. 3. v. 14. 15. Unusquisque tentatur, dum a propria cupiditate abstrabitur & inescatur. Deinde cupiditas posteaquam concepit, parit peccatum, peccatum vero peractum gignit mortem. Adeoque concupiscentia prava non unius sed multiplicium peccatorum caussa est, neque causa haec effectu suo melior.

IV. Quanquam vero ita in carne nostra radicatae sint pravae haec concupiscentiae, ut quamdiu carnem circumgeramus, eas deponere nequeamus, spiritu tamen ijs resistendum est, ne nobis dominantur, idque juxta monitum Apostoli Gal. 5. v. 16. Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Qui enim sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis v. 24. Abscindamus itaque oculorum, manuum ac pedum inordinatos affectus ac concupiscentias, superna curemus non terrestria Col. 3. v. 2.

V. Secundò ad causam efficientem peccatorum accedunt objecta quibus appetitus noster irretitur. At ea non sunt causae nisi per accidens, quibus in se bonis, nostro vitio & instinctu abutimur. Quo etiam referri posset Lex DEI, quia semper magis nitimur in vetitum, cupimusque negata, quod etiam Apostolus dixit Rom 7. v. 8. peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me. Ad quas causas per accidens, quae tamen ad poenitentiam singulos revocare deberet, referre possumus longanimitatem DEI, quod ita protinus peccatores non puniat.

VI. Ve-

VII. Veruntamen, quo ad objecta si appetitum inordinatum domuerimus, facilè ex objectis peccatorū ansam non accipiemus, siquidem in quo appetitus argenti extinctus est, is ad furtum non ta facilè conspecto argento commovebitur. Lex verò sit magister noster ad cuius præcepta de die in diem vitam nostram magis atq; magis conformare studeamus. Quoad gratiam verò Dei illud Rom. 6. v. 12. continuò ob oculos positum habeamus. *Quid dicemus, permanebimus in peccato ut gratia auctior fiat? Absit, qui mortui sumus peccato quomodo adhuc vivamus in eo.* Interim quotidiè oremus DEm: *Dimitte nobis debita nostra, & ex Psal. 143. v. 2. ne intres in judicium cum seruo tuo, quia non justificabit se in conspectu iuo omnis vivens.*

VIII. Propiores caussæ & per se magis externæ tamen sunt 1. *Satanas*, qui ut primò à DEO peccando sese avertit, ita peccatis delectatur, & homines ad peccata extimulat, odeoq; operatur in Filijs diffidentiæ Epb. 2. v. 2. intusq; ipsam phantasiam commovet, pravasq; cogitationes suggerit. Huic secundò accedit *Mundus scandalis suis & pravis exemplis sive sermonibus, sive actionibus fiant, quibus cum caro nostra infirma sit, facilè vincitur & ad peccati actum deducitur.*

IX. Quamquā autem inter tot hostes meritò exclamemus cum Apostolo ex Epist. ad Rom. 7. v. 24. o miseri homines, quis nos eripiet ex carcere isto mortis. Et cum Davide: *Eripe nos Domine ab inimicis nostris.* Contra hos tamen induamus armaturam cœlestem, præscriptam nobis Eph. 6. v. 11. & juxta admonitionem Christi Matib. 18; si manus vel pes nostra nos offendat, abscindamus ea, cum bonum sit nobis, ingredi claudos & mancos in regnum cœlorum, quam duas manus vel pedes habentes, conjici in ignem æternum. Cum enim in no-

**I**ntra potestate situm adhuc sit vel consentire Satanae vel resistere, citò astutiis istius, mundiq; pravis exemplis non obediemus.

**IX.** Potissima enim & principalis causa maximeq; propinqua peccati actualis est *propria cuiusvis voluntas*. peccato originali infecta, & electio, *οικεία ἐκάστη μερι-* *στις* eodem connato malo ducta, quo fit, ut legem Domini & vias ejus deserendo, nos ab ipso avertamus, carnē ac concupiscentias naturales sequamur. Hinc itaq; peccatum aliquod voluntarium est, aliud *ἄνγονον* & non voluntarium, *Ps. 19, v. 15.* Voluntariae actiones si continuantur facile abeunt in habitum, ex quo peccati habitus introducitur, adeoq; simul fiunt causa peccati, quibus de peccato in peccatum detrudimur.

**X.** Has actiones verò vitiosas vitabimus, si superiora assumserimus media, in lege Domini meditemur die ac nocte, juxta præcepta ejus vitam nostram instituamus, inq; vijs ejus ambulemus. In primis verò si peccato circumventi ac lapsi fuerimus, eo citius surgamus, omnēque peccati devitemus habitum, qui habitus & actiones contra conscientiam ex protervia & malitia suscepti ab homine renato minimè proveniunt, sicuti *Apostol. Iob. epist. 1 c. 3. v. 9.* loquitur. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.*

**XI.** Quoad Deum verò, quomodo is cum peccato concurrat dicimus. 1. *cum August.* Si quis à justitia ac pietate deficit, suo præceptis fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur, nihil enim Pater nihil Filius nihil Spiritus S. intali negotio nihil quicquam divinae voluntatis intervenit. 2. Inter actionem ejusq; *ἀγέλια* distinguimus. Actio à Deo est & adjuvatur ab ipso: *ἀγέλια* à solo dependet homine.

**XII.** Sin verò præterea activa verba de Deo in actionibus peccatorum Scriptura habeat, adeoq; Deus quoq; indurare dicatur: his iterum respondemus cum *Excell. Dn. D. Meisnero* id fieri 1. vel negative

gative 2. vel privative. 3. vel permissive. 4. vel objectivē, in  
quo tamen causa maximē per accidens. 5. vel declarativē. 6. vel  
directive, quæ disp. 9. anthrop. sacræ suscipienda invenias.

Breviter, ut etiam de reliquis agamus causis peccati actualis  
Quoad materiam circa quam vel objectum. illud vel est Deus, vel  
proximus, vel nos ipsi. Materia in qua vel subjectū est vel anima, eaq;  
potissimum vel simul foras exeunt, & corpus afficiunt. Materia ex  
qua analogicē sic dicta sunt actiones sive internæ, sive externæ seu  
ut definitio August. habuit, sive cogitatū, dictū aut factū fuerit.  
Cumq; ex actiones juxta præcepta Decalogi quam optimè di-  
stingui possint, quibus vel aliqua omiserimus, quæ lex à nobis  
requisivit, vel fecimus, quæ legi sunt contraria, hinc facile pec-  
catorum actualium species juxta singula præcepta decalogi re-  
cesseri poterunt.

XIV. *Formalem* peccati actualis causam, quæ tamen  
privatio potius est in deformitate seu inconvenientia  
cum lege Dei ponimus: sicut formale cœcitatis est ipsa  
visus denegatio, sic peccatum rectitudinis ac conveni-  
entiae cum lege DEI negatio seu ab ea aberratio, quæ  
nunc major nunc minor esse potest. Ex formal i tamen  
suā ratione, peccatum sive magnum sive parvum fue-  
rit, reatum ac aeternam damnationem, nisi facta sit re-  
missio propter Christum, promeretur. Unde tamen  
& ipsa damnatio pro gradibus peccatorum gradus  
quoq; suos obtinebit, de quibus alibi.

XV. *Pro fine* peccatorum, qui propriè nullus es-  
tius quam extructio regni Diabolici, & aeterna da-  
mnatio effectus ejus ponimus, qui per se & proprij  
sunt. 1. Angor conscientie 2. Ira DEI. 3. anima ma-  
culæ 4. reatus 5. viciosi habitus ad alia peccata inclinantes  
6. omnis generis pœnae temporales, & tandem aeterna damna-  
tio. Per accidens vero & ratione in sequentis pœnitentia  
peccatum boni causa esse potest, quo virtutum a-  
morem, atque peccati fugam eo majorem in pœ-  
nitente excitat, siquidem ab igne combustus infans,  
eo vehementius ignem fugit. Sed ut hæc solis

obve-

obveniant pœnitentibus, ita qui Epicuræo modo consolacione hac abutitur, videat ne peccatorum cœno immersus, pedem posthac nunquam extrahat. Ac tantum quoq; de causis peccatorum actualium: Sequitur.

#### CAPUT IV.

### DE VARIIS PECCATI ACTUALIS DISTINCTIONIBUS, & in primis de peccato veniali & mortali.

I. Peccati actualis distinctiones, uti variæ scripturæ ductu enumerari possunt: ac ab alijs aliter connumerrantur, ita nos ex præstantioribus Theologis annotatas breviter proponemus, ac deniq; controversiam de peccato veniali ac mortali subjungemus. Distinctiones autem istas juxta dictum capitilis præcedentis de causis peccatorum proponemus.

II. Quod ad causam efficientem itaq; Primo Peccata alia sunt *Involuntaria*, nimirum quæ ex ignorantia & infirmitate: quædam *voluntaria*, quæ ex destinata animi malitia & contumacia perpetrantur. Ultrorumq; mentio fit *Num. 15. v. 27. & 30. Psal. 19. v. 13. 14.* Inspecienti involuntarij peccati fit mentio *Gen. 20. v. 2. Lev. 4. v. 2. Num. 35. v. 15. 1, Reg. 8. v. 46. 2. Par. 6. v. 36. Eccl. 7. v. 21. Prov. 20. v. 1. Act. 3. v. 17. Gal. 6. v. 1. 1. Tim. 1. v. 13. Jas 3. v. 2. X*

III. Ubi tamen notandum, quod non ita dicatur in voluntarium quasi voluntas ad illud non accedit, sed quia non sit destinata ac data opera, ut sunt facta, quæ nos fortuita dicimus: Item quando ex pravis concupiscentiæ motibus saepius cogitationes malæ nobis obrepunt: vel cum quidem data opera, plenariaq; voluntate actio suscipitur, quod tamē ea injusta sit, ignoramus, aut circumstantiæ facti nobis sunt incognitæ. Quæ tamen ignorantia, si nostra culpa aut negligencie

tia attracta fuerit, peccatum minimè reddit excusabile.

**IV.** Peccatum voluntarium de quo Apostolus Rom. 6.v.15. Tit.3.v.10. 2.Pet.2.v.3,5. est quod ex data opera destinata malitia, aut habitu committitur (undè etiam peccatum contra conscientiam dicitur, in quo plenarium agens est ipsa hominis voluntas) Et quanquam in peccatis, quæ ex habitu proveniunt aliter agere vix possint homines, ut in ebriosis, rixosis &c. conspicitur: tamen cum ipsi sūa sponte & malitiā habitum istum sibi contraxerint, utiq; redduntur inexcusabiles.

**V.** Secunda divisio quo ad causam efficientem est, quod peccata quædam nostra, quædam aliena sunt: *Communicamus autē peccatis alienis vel Committendo, cum pccatis alieni vel auctores sumus vel adjutores, idq; vel approbando Act. 8.v.1. Rom. 1.v.32. vel consultando 2. Sam. 16. v.23. Joban.11.v.49. vel obediendo aliorum impijs mandatis, aut jubendo impia Ex.11.v.16.2. Reg. 11.v.15. Matth.2.v.16. Joban.19.v.16. vel mala aliorum excusando ac defendendo Esa.5.v.30. Ezech.13.v.18. vel lucris ex peccatis aliorum participando Psal.50.v.18. Communicamus itidem peccatis alienis *omittendo*, cum intempestivo silentio, cōniventia, ac nīmiā lenitate peccata ex officio nostro non punimus Ezech.3.v.17.6.33.v.7. Esa.58.v.4.*

**VI.** Divisio *tertia* peccati ratione causæ efficientis est, quod peccatum aliud sit *Per se*, aliud *Per accidens*, illa sunt, quæ ipsa per se impia: Hæc verò licet quoad substantiam actus & conformitatis quam cum lege quodammodo habent propriè ac per se peccata non sint, tamen ratione personæ agentis, quæ vel nondum est reconcilata, neq; ex puro corde ad D E I gloriam fiant, aut licet etiam renata, illis tamen peccata & imperfectiones plurimæ

C

adhœ-

adhærent, hinc si ad justitiæ divinæ tribunal, coram quo & ipsæ virtutes repidant, peccata sunt, quæ tamen quia in regeneratis à fide procedunt, istam imperfectionem Deus propter Christum ipsis non imputat, sed fiunt cultus ipsi gratissimus.

VII. Atq; hæ sunt potissimæ species peccati ratione causæ efficientis. Rationem *materiæ* & quidem circa quam *Quarto* peccata dividuntur, quod quædam peccata committantur *in DEum*, quædam *in proximum*, quædam *in nos ipsos*, prout nimirum objecta sumuntur proxima, siquidem alias soli Deo quidem propriè peccamus *Ps. 51. v. 6.* quia vero actiones nostræ non omnes immediate circa divina versantur, sed aliæ erga proximum, aliæ in nos ipsos peragantur, hinc si juxta præscripta præcepta non egerimus, *in proximum*, & nos ipsos pecare dicimur. *vid. 1. Sam. 2. v. 25. Num. 21. v. 7. Iac. 5. v. 16. &c.*

IX. Coincidit *cum his* divisio peccatorum *quinta* quod alia *contra primam*, alia *contra secundam* Decalogi fiant tabulæ, ubi tamen observandum, quod *obedientia primæ tabulæ* derogat *secundæ*, si simul servari nō possunt, quæ regula si non observatur, ex ea nova species peccatorum obvenit tum *sextò*, alia dicuntur *consistere in aversione ad DEum*, alia *in conversione ad creaturas*, prout hæc duo distinguiuntur formaliter & illa ratione termini à quo, hæc ratione termini ad quem attenditur. *vid. Jerem. 2 v. 13.*

X. Ratione subjecti *septimò* dividuntur peccata, quod alia *sint animæ*, quia perficiuntur absq; delectatione corporis, ut avaritia, odium, invidia: alia *simil' quoq; corporis*, quæ perficiuntur delectatione corporis, inter quæ vehementissima est scortatio, de qua ex dictis Pauli *1. Cor. 6. v 18. Omne peccatum, quodcunq; facit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in proprium corpus peccat,*

*Octavam*

625

*Octava peccatorum* appetet divisio quod alia *ex-sa-corpus*, quædam *in proprium corpus* committantur, siquidē uti rationes adducit Apostolus v.15. & 16. cit. cap. 1. qui adhæret meretrici fit unum corpus cum ea & 2. tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis.

X. Ratione *materie ex qua*, quam actiones diximus alia dicuntur *interna alia externa*, illa internis concupiscentiæ perficiuntur motibus, cūjus gradus hic breviter annotamus tum vel 1. παρεργάται tentat, adeoq; cogitationes pravas objicere incipit. 2. δελεαζεῖ illecebbris suis inescat homines ut approbent. 3. ἐξέλυει quando jam trahere incipit & voluntas rapitur ad obsequiū. 4. συλλαμβάνει concipit & homo machinatur malum propositum perficere, donec deniq; 5. τίκτει pariat, homoq; ipsum peccatum perpetret, atq; sic ipse opere peccatum efficiatur externum, sive id fiat lingua, sive alio instrumento corporis, quod idem indigitare voluerunt, cum decimò peccata in cordis, & operis, distinxerunt.

XI. Referri huc potest *undecima* peccatorum divisio, quod alia dicuntur *commissionis*, alia *omissionis*, siquidem *scientibonum & non facienti peccatum est Iac. 4. v. 17.* ac lex non solum jubet recedere à malo, sed etiam mandat facere bonum, quapropter Christus dicit. *Job. 15. v. 2. omnem palmitem non ferentem fructum tollit pater cœlestis, omnisq; arbor, quæ non facit fructum bonum exciditur & in ignem mittitur Matt. 7. v. 19.* Notandum vero quod peccatum omissionis & Commissionis differunt specie, si considerentur materialiter; non verò formaliter, & pro ut non tantum privatio, sed etiam actus substratus attenditur.

XII. Ratione *forme*, quam in privatione rectitudinis consistere diximus, nulla forsitan commodè instituetur peccati divisio, nisi cum privatio magis & mi-

C 2

nus

nus recipiat, aliaq; totalis alia partialis sit, huc referre placeret peccatorum divisionem duodecimam, quod alia alijs graviora sint, juxta dictum Scripturæ Num. 15. v. 22. Matth. 5. v. 22. c. II. v. 14. Luc. 12. v. 47. Ioh. 19. v. 11. Falsissimè verò à Jesuitis nonnullis Stoicorū & Jovinianorū error nostris adscribitur, ac si peccata omnia dicemus æqualia, à quo ipsa hæc nostra nos liberat confessio, Et Bellarm. l. 3. de Justif. c. 16. testimonium.

XIII. Est autem peccatum peccato gravius, illud quod scienter & ex voluptate committitur, eo quod ignoranter & ex necessitate perpetratur, tūm quod frequentius continuatur, aut etiam extenuatur & defenditur. In primis autem & persona agens aggravat vitium, quæ si majoribus donis ornata à D E O , in illa quasi ingrata fit, majus scandalum præbet, eoq; vehementius peccato resistere debuisset. Sic objectum in quod peccatur, majus peccatum efficit, majus enim est peccare in D E um & res divinas, quam in hominem, resq; humanas, majus peccare in parentes, quam alienos.

XIV. Ratione finis deniq; vel potius effectus peccata dividuntur Decimotertio, quod alia sint tantum peccata, alia simul peccata, & caussa ac pœna peccati. Utile est hanc nosse distinctionem, qua ostendere possimus, quod cōcupiscentia & peccatum sit, & pœna peccati & caussa peccati, sicuti ex c. nostro 2. & 3. fuit perspicuum. Quomodo vero peccatum peccati caussa sit, & ut efficiens & disponens, & caussa materialis, tūm quoq; finalis. Vid D. Chemnit. part. I. loc. p. 636.

XV. Referri huc potest distinctio decima quarta, quod peccata alia sint capitalia, alia ex his orta, illa dicuntur Inanis gloria, Ira, Avaritia, Invidia, Acedia, Gula, Luxuria, quarū filiæ, præsumptio, hypocrisy, pertinacia, indignatio, rixæ, contumeliaz, scurrilitas, immundicia, &c.

XVI.

XVI. Deniq; si naturam *Venialis ac Mortalis peccati in-*  
*telle* exerimus, quam divisionem haut in recte ad effe-  
*cum peccati retulerimus intelligetur divisio peccati*  
*decima quinta* quod peccatum aliud *clamet in cœlum*, ali-  
*ud Deus dissimulet. Decimasexta*, quod aliud *mortuum ali-*  
*ud vivum. Decimaseptima* aliud *mānens* aliud *remissum.*  
*Decima octava* aliud *regnans*, aliud *non regnans.*

XVII. Quemadmodum vero omne peccatū ex sese re-  
 atum & pœnas tum corporales tum æternas secum ad-  
 ducere diximus, quæ pœna cum prima cominatione  
*Gen. 2. v. 17. Morte* denominabatur, unde Apostolus *Rom.*  
*6. v. 23.* dicit, stipendium peccati mors est: ita *omne pec-*  
*catum ex sē & suā naturā mortale*, ejusq; proprium effectū  
*mortem dicimus*, idq; tenore apertissimorum dictorum  
*Scripturæ Deut. 27. v. 30. Ezech. 18. v. 4. Matt. 5. v. 19. Rom. 6.*  
*v. 23. Gal. 3. v. 10. Iac. 2. v. 10.* tum ex summâ perfectione,  
 quam lex requirit, quam nullus homo etiam sanctissi-  
 mus præstiterit nec præstare poterit. (cujus contrariū ut  
 defendant Photiniani, nullā tamen adhuc firmâ ratio-  
 ne probare poterunt) contrarium enim testantur san-  
 ctissimorum quorumvis quærelæ *Job. 15. v. 14. c. 25. v. 4.*  
*cyp. 4. v. 13. Esd. 9. v. 15. Ps. 32. v. 6. Ps. 129. v. 3. Ps. 142. v. 2. 1.*  
*Cor. 4. v. 4. Phil. 3. v. 7.*

XIX. Cum igitur ut ex dictis patet, peccata etiā leuis-  
 sima ceu lege Dei contraria, & qua Dei justitiam infi-  
 nitam lèdunt, quodq; ijs Deo sit reddenda ratio, in lege  
 Dei damnentur: Quocirca utiq; falsissima vetustiorū  
 Scholasticorum tum hodiernorū Jesuitarum ac omni-  
 um Pelagianantium assertionem judicamus, quā *pec-*  
*cata quædā etiam ex suā natura & ratione actus sui*, ita *le-*  
*vicula afferunt*, ut non sint contra sed prater legem, ita levicula  
 ut non possint contaminare renatorum opera, quæ nul-  
 lam caussent maculam in anima, & ad solas pœnas tempo-  
 rales, quæ tamen facile indulgeantur obligent, quæ ut

*in se DEO displiceant, homo tamen propter ea minime DEO-  
displiceat.*

XIX. Sic enim Bellarminus l. 1. de amiss. gratia & stat.  
peccat. peccatum veniale distinguitur ex natura sua à Mor-  
tali, ac sine ulla relatione, vel ad prædestinationem, vel ad  
Misericordiam Dei, vel ad statum renatorum, est ejusmodi,  
ut pœnam quidem mereatur, sed non eternam: & DEUM  
offendat sed non usq; ad amicitiae dissolutionem. Hocq; et-  
jam oriri dicit vel ex imperfectione operis, vel ex sub-  
reptione, vel ex pravitate naturæ.

XX. Addiderunt insuper, quò èd magis meritum Chri-  
sti extenuetur & justitia operum extruatur, peccata ist-  
hæc etiam absq; merito Christi certis mediis ab ho-  
minibus expiari posse, quorum alij sex alij octo alij duo-  
decim hodie numerant & in impositione pœnarū con-  
fessionarijs imponenda adhuc hodiè observant, uti  
sunt recitatio orationis Dominice, devota pectoris tensio,  
aque benedictæ aspersio, Episcopalis Sacerdotalis quin & mo-  
ni. f s benedictio, digna in missa communio, Eleemosynarum  
largitio, uncio extrema, flagellorum patientia, injuriarum  
remissio, & tandem quodlibet opus bonum uti Gretserus in  
luis de cruce analæctis numerat.

XXI. Ac istiusmodi judicant omnia peccata præter  
septem illa quæ supra capitalia diximus, hic mortalia ab  
ipsis dicuntur, superbia nimirum, Avaritia Luxuria, Ira,  
Gula, Invidia Acedia, quæ ab initialibus literis barbara  
voce SALIGIA expresserunt. Ut verò non quærimus an  
commodioribus vocabulis natura Mortalis ac Venialis  
peccati exprimi possit & num magis mortifera & infir-  
mitatis dici debeant: Ita tamen doctrinā de Veniali ac  
Mortali peccato cum Anabaptistis minus figmentum Scho-  
lasticorum dicimus, aut peccata venialia in solis electis quido  
cunq; etiam agant, mortalia in solis reprobis querenda cum  
Calvinianis statuimus.

XXII.

XXII. Si enim hæc doctrina de discrimine mortalis ac  
Venialis peccati rectè observatur & plurima Scripturae  
dicta, uti sunt 1. Job. 1. v. 8. c. 3. v. 6. Matth. 7. v. 13.  
Rom. 7. v. 23. cap. 6. v. 22. cap. 7. v. 17. ac similia quæ pri-  
mō intuitu dñi Qæstionā videntur, facilè dissolvi pote-  
runt. Tum doctrina de satisfactionibus, de meritis bono-  
rum operum & purgatorio Pontificio facilè tollitur, mon-  
strarī item potest, quid de reliquis peccati originalis, de-  
implectione legis statuendum sit. Consolationem firmam  
dabit p̄ijs & p̄enitentibus, terrores autem incutiet imp̄ijs &  
imp̄enitentibus singulosque ad studium bonorum o-  
perum & novæ obedientiæ instigabit.

XXIII. Si enim firmiter teneamus omnia peccata et-  
iam quantumvis levia D E U M offendere & æternam  
mortem promerer, adeq; esse ex se & suā natura & a-  
ctūs mortalia, non ita proclives ad peccandum erimus.  
In primis vero ut naturam peccatorum venialium ha-  
beamus cognitam dicimus quod, *sicuti peccata juxta le-  
gem considerata omnia sunt mortalia: ita excepto peccato  
in S.S. (non quidem ob magnitudinem peccati, sed me-  
diorū rejectionem) vicissim ista & omnia considerata ju-  
xta Evangelium ex misericordia D E I ob intercessionem  
Christi Venialia fieri, vi dictorum Scripturae Ezech. 18. v. 23.  
cap. 33. v. 11. in primis Job. 3. v. 16. Rom. 5. v. 8. c. 8. v. 32.  
c. 11. v. 32. 1. Timoth. 2. v. 4. 2. Cor. 5. v. 14. 1. Job. 2. v. 2.  
cap. 4. v. 10.*

XXIV. In primis si accedat quod utique summè neces-  
sarum, *vera p̄enitentia & conversio* ad D E U M, adeoque  
*fide meritum Christi accipiatur, ea que viva per medium*  
bonorum operum ostendatur, nihil enim minus  
quam fidem hypocriticā justificare statuimus, adeq;  
peccatum non ratione actus sed personæ veniale fit.

Verum

Verum cum jamdum nostra hæc exereverit di-  
sputatio, argumentis Pontificiorum ad conflictum res-  
servatis, concludentes rogamus DEUM nostrum, ut &  
peccatis clementissime nos custodiat, Spiritu suo S. nos re-  
gat, in vijs suis nos ducat, firmaque sua dextra sustineat,  
ne unquam peccata labamur, lapsi vero citio nos ad-  
jutus. S. S. erigamus, & vera fide ad Christum con-  
fugiamus, cui laus, gloria, & honor in  
secula.


**F I N I S.**



Ung. VI 23  
=[Dissertationes  
theol. Vol. 59]



Ref. 06  
ZD 77



# FarbKarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue	Centimetres	Inches
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8
18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7
17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6
16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5
15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4
14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3
13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2
12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1
11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	0

616  
28  
*DRIALLUM*  
*lumnorum,*  
**QUARTUM,**  
**ATIS**  
**LIBUS,**  
annuente  
*eramine*  
**HUNNII**  
D. & P.P.  
NSPECTORIS,  
*bergensi Academia*  
situm,  
INECCIO Witebergensi,  
oph: Adjuncto.  
DENTE  
USIO Bitterfeld: S.  
r disputatio  
orâ i. pomerid. in  
orum Electoralium.  
BERGÆ,  
s GORMANNI.  
DC. XIX.